

/ Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali. 1964

Gratias ingentes Ill/mae G.V. sanctimoniales agunt, de opera quam in officiis ipsarum legendis et commendandis ~~navavit~~, etsi frustra. Quanquam certe haud frustra, cum aperte sint intelligant, ~~5~~ se ad regulae suae constitutionem, quae officia ista praescribebat, deinceps haud teneri, dum ipse S. Sedes Apostolica ab iis publice recitandis ~~phenissime~~ absolvit. Itaque hoc nomine plurimum se debere profitentur, et suas pro Ill/ma G.V. ad Deum preces libenter addicunt. De Ascensione mentis in Deum nuperrime recudi, ~~10~~ nec tamen editionis quae nihil a priori differret, exemplaria mittenda duxi: sed mitto, eorum loco Missale in folio extensum, per D. Andream Brugiotti, quem recentem typographiae nostrae fructum velut strenae cujusdam loco Ill/mae G.V. offero, felicissimum hunc annum apprecatus. De septem Verbis a Christo in cruce prolatis ~~15~~ opusculum ubi recepero, eadem forma et typis quibus priora excudam, ut gratum senibus faciam, cum alii typographi, in his cudendis, junioribus inserviant. Ad Ill/mum Card. Cobellutium de molestia scribo, quam quidem in Belgio typographi nobis facessunt, dum ex Bulla Clementis VIII missali et Breviario recognitis praefixa ~~20~~ communem omnibus ea cudendi licentiam praetendunt. Quaeso Ill/mam G.V. typographiae Plantinianae caussam apud Sanct/mum Pontificem cum Ill/mo Card. Cobellutio tueri ne gravetur. Vale Ill/me et R/me Domine. Prid. Idus Jan. M.DC.XVIII.